



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

EX Regibus Christianissimis, à Clodovæo, primogenito Regum fidelium; usque ad Ludovicum magnum; magno zelo Religionis Catholicæ inflammati sunt in primis Rober- tus Pius, Ludovicus VII. Philippus Augustus; sed maximè Sanctus Lu- dovicus, Regum Christianissimorum absolutum xemplar; cujus meritis, & intercessione credibile est Henri- cum III. Gallix & Poloniæ Regem, ultimum ex Sancti Regis progenie, tam piam mortem, qua vitæ noxas expiavit, obtinuisse.

Cùm enim Henricum ejus Confes- sarius monuisset, ut Romano Ponti- fici satisfaceret, respondit Rex, his
 „ verbis: Ego majorum meorum me-
 „ ritis debeo, quod sim primogenitus
 „ filius Ecclesiæ, Catholicæ, Apo-
 „ stolicæ, Romanæ; & talis mori
 „ volo: protestorque coram Deo, &
 „ coram omnibus adstantibus; uni-
 „ cum meum desiderium, ante exi-
 „ tum, ex hac vitâ mortali, esse; ut
 „ summo Pontifici, velut omnium

„ Christianorum Patri , & Pastori ;
 „ univèrsi gregis Domini nostri JESU-
 „ CHRISTI, in omnibus quæ à me
 „ exiget abundè satisfaciam. His di-
 „ ctis hortatus est Regem Navarræ præ-
 „ sentem, ut ad fidem Catholicam Ro-
 „ manam rediret; ac subinde erratorum
 „ veniam humiliter petens, ter iteratâ
 „ peccatorum confessione, & Sacra-
 „ mentali absolute acceptâ, Sacro-
 „ que Viatico munitus, in divinis col-
 „ loquiis, & pœnitentiæ actibus, pla-
 „ cidè, & Christianè expiravit.

Rege Henrico tertio, tam piè mor-
 tuo, Rex Navarræ Henricus IV. ejus
 successor, qui ob hæresim, quam pro-
 fitebatur palam exclusus erat à Coro-
 na Regum Christianissimorum, Eccle-
 siæ Catholicæ primogenitorum; pe-
 titiit instrui ab Episcopis circa præci-
 pua puncta inter Protestantes, & Or-
 thodoxos controversa; specialiter de
 invocatione Sanctorum, de confessio-
 nis Sacramentalis obligatione, & de
 potestate Romani Pontificis, in qui-
 bus, cum illi ab Episcopis, plenè sa-
 tisfactum esset: instabant Protestan-
 tes, ut ad summum controversiarum

caput; id est, ad realem, & substantialem existentiam Corporis & Sanguinis, ac totius Christi, in Sacramento Eucharistiæ procederetur; tunc omnibus adstantibus, & audientibus, protestatus est Rex, se de reali & substantiali Christi JESU existentia, sub speciebus panis & vini, post peractam Sacerdotalem consecrationem, nunquam dubitasse; se illam semper in corde suo credidisse: nec aliâ instructione sibi opus esse, ad credendum omnes, & singulos articulos fidei Orthodoxæ, à Sanctâ Catholicâ, Apostolicâ, & Romanâ Ecclesiâ propositos; quamobrem publicè magno cum animi sensu, abjuratâ hæresi, fidem Catholicam, Romanam confessus; ab omni vinculo absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus; à felici conversionis suæ die, tanto Orthodoxæ fidei, per omnes regni sui Provincias propagandæ, zelo accensus est, Rex Christianissimus; ut palam profiteretur, nihil se ardentius desiderare, quam omnium hæreticorum sibi subditorum, ad Romanæ Ecclesiæ gremium, aggregationem. Sed hanc gloriam, vilis est

Deus optimus, servasse Ludovico magno; ut quod avus ejus Henricus magnus, tantoperè optabat, & ejusdem Pater Ludovicus Justus armis suis vitricibus inchoavit; ipse novo armorum genere, sine sanguinis effusione, pacificè, sapientiâ suâ, & fortissimâ mansuetudine perficeret. Igitur Deo optimo maximo auxiliatore, & Rege Ludovico XIV. regnante, sperandum est, brevi, in toto Regis Christianissimi Regno, unicum ovile futurum, sub unico Pastore, Christi Vicario Romano Pontifice. Exaudiat Deus misericors suorum vota!

V.

SAncti Ludovici gloriosissimis hæredibus, & æmulis, adjungo alios Reges Catholicos, ac Principes sanctitate, quàm sceptro clariores: qui spretis mundi illecebris, & divitiis, uni Regi Regum Christo placere, & ejus fidem propagare studuerunt. Valde notandum est, quod ex Regibus populi Hæbreorum, ex Regibus Juda, præter Davidem, Ezechiam, & Josiam, omnes mali fuerint, & inter Reges Israël quippè schismaticos & à